Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 560. Ioannis Pap. Annus 1. Ivstiniani Imp. Annus 34.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

nes ex monaſteriis abducentes. Quis adeo mentis obtu-ſe non ſtatim intelligat, quam perfidi iſti ſint, qui contra-ria ſtatuant ſanctiſſimis illis Deo dignis Epiſcopis, qui innumeris eluxere miraculis, & virtutib. omnis generis effulſere decori? At de his ſatis.

IESV CHRISTI

Annus 560.

IOANNIS PAP. Annus 1. IVSTINIANI IMP. Annus 34.

I. SExageſimus ſupra quingenteſimum Domini annus inchoatur, poſt Baſilii Conſulatum decimus nonus, idem Imperatoris trigeſimus quartus, Conſtantinopoli-tanis valde lugubris. Etenim ægrotans idem Imperator cum vulgo mortuus iactaretur, quaſi in interregno qui-buſque, quod vellent agendi licentiam ſibi ſumentibus, ingentia plane perpetrata ſunt ſcelera, quæ in vrbis dire-ptione ab hoſtibus fieri conſueuerunt; inter alia vero ergaſteria mercatorum ſunt expilata. Si enim viuente ad-huc Principe, Praſinorum factioni talia impune agendi videbatur facultas eſſe conceſſa; quid putandum poſt re-nunciatam Imperatoris mortem non eſſe præſumptum ſiue ab ipſis, ſiue potius à contraria factione Imperatoris potentia diu compreſſa, luctuoſaque paſſa? Sed quo-modo idem Imperator ex inſperato ope ſanctorum mar-tyrum conualuerit, cum omnes referant; nos ex ipſo fonte nempe Procopio, eam petamus hiſtoriam, ait e-nim:

II. *Iuxta veſtibulum Sinus Irenes martyris templum fundatum eſt tanta magnificentia, vt ſatis enarrari non poſſim. Hic aſſer-uantur ex antiquo reliquiæ ſanctorum virorum non minus, quam quatuor, qui in Romano exercitu æra merentes, militabāt in duodecima legione apud Melitenem vrbem Armeniæ olim col-locata. Etenim latomi, effoſſa humo, inuenerunt arculam literis indicantibus eſſe ſibi tectas reliquias horum virorum. Quod Deus late-re voluit, donec manifeſtari congruum foret. Quippe Iuſtinianus imperator male affectus: vehemens enim fluxus in genua dela-pſus eorum dolore conſecit.* quanam ex cauſa id acciderit, cū idem referat nos alia occaſione ſuperius enarrauimus. atque mox ſubdit: *hinc igitur morbus ſucreſcens medicorum operam ... interim aut eminuit eſſe reliquias relictas ope humana ad hos fideli connexit & viri opinionem in, quæ ma-ximam eſſe ... vſus eſt. Poſt quam enim lancem reliquiarū ſacrolatis genibus Regis impoſuerunt, euanuit dolor corporibus, quæ Deo ſeruierāt, cedens. Quod profecto Deus nolens eſſe dubium, magnum ſignum oſtendit eorum quæ acta erant. Nam ex ſanctis illis reliquiis ſub eo oleum manauit & arculam perfundens, pe-des & totam purpuream veſtem Regis imbuit & humectauit. Quamobrem veſtis hoc modo humectata aſſeruatur in regiis recc-ptaculis, ... eorum quæ tunc facta ſunt, teſtimonium.* hæc Pro-copius.

III. At non ſemel tantum ſanctorum martyrum benefi-cio curatum eſſe Iuſtinianum ab ægritudine, & è mortis faucibus erutum atque renouatum ad vitam conſtatinā quæ ſunt relata, num hoc anno acciderint vel potius quæ idem auctor his præmiſit, quiſque pro animi ſententia iudicabit. Porro rem geſtam idem Procopius ita narrat. Etenim quod expertus eſt modo remedium ex quatuor ſanctorum martyrū reliquiis, alias ope ſanctorum mar-tyrum Coſmæ & Damiani factum itidem refert his ver-bis: *Circa Sinus terminum in arduo ſatis & edito loco ſanctis Coſmæ & Damiani olim templum dedicatum eſt: vbi Iuſtin a-num grauiter ægrotantem & iam morituri ſpeciem præbentem, nempe medicis deſperatum, & inter cadauera iacentem iſti San-cti per ſomnum & viſum apparentes curauerant. Cuius benefi-cij memor proximam ſtructuram permutans impoſitam plane &*
indigna tantis ex itibus, elegantia, magnitudine, & fulgore lu-minis templum illuſtrauit.* hæc ipſe.

IV. MIRACVLA EX SANCTORVM RELIQVIIS. Non id recens ſemelue experimento declaratum eſt, Sanctorum reliquias Dei ope edidiſſe miracula: ab exor-dio enim naſcentis Eccleſiæ, veluti è fonte perenni copio-ſe fluente riuoſque curationem in omnes Orbis partes emittente Sanctorum reliquias id præſtitiſſe, quæ ſu-perius ſingulis ferme annis ſunt dicta, perſpicua luce de-mōſtrant. Sicut etiam pariter oſtenſum eſt, vbique lo-corum cultum ſacrarum imaginum ſemper in Eccleſia Catholica viguiſſe, de quo hoc pariter anno haud vul-gare exemplum Annales continent: hoc enim anno id accidiſſe Sigebertus eſt auctor, quod narrat his verbis: *Hoc tempore Iudæus quidam imaginem Saluatoris de Eccleſia furtim deponens, eam telo tranſfixit & eam clam in domum ſuam deferens, cum vellet flammis exurere ſe ſanguine imaginis cruentatum videns, præ ſtupore eam abſcondit. Quam Chriſtiani requirentes, & per veſtigia ſanguinis inuenientes, eam ſangui-nolentam receperunt, Iudæum vero lapidauerunt.* hæc ipſe.

V. IMPOSTVRA DE LIBRO RECONDITO. Quod vero de Iudæis mentio facta eſt non præter-mittimus dicere, eiuſdem Iuſtiniani imperatoris tempo-re tradi, à Theodoſio Iudæo proditum librum apud He-bræos reconditum de CHRISTI in templo ſacerdotii functione deque Dei genitricis virginitatis à ſacerdoti-bus Iudæorum facta per obſtetrices exploratione, narra-tur eiuſmodi apud Suidam hiſtoria, eademque à diuerſis aliis auctoribus recentioribus repetita: quam vt cōmen-tum nos reſpuiſſe memores ſumus Tomo Annalium primo.

VI. THEODOMIRVS REX SVEVORVM REDDITVS CATHOLICVS. Quod ad res Occidentalis Eccleſiæ pertinet, vltimos adeamus Hiſpaniarum fines Oceano contiguos, ipſam, inquam, Gallicię prouinciam, vbi regnantes hactenus Sueui Reges iidemq; impii poſt Alaxam apoſtatam haud modicum Catholicæ Eccleſiæ damnum intulere vſque ad præſentem annum, quo regnare cœpit Theodomirus, tenuitq; regnum annos decem, ſecundum exactam do-ctiſſimi viri Moralis peruestigationem, cui haud inuiti ſubſcribimus. Quod autem hic ipſe in Concilio priori Bracharenſi Ariamirus dictus inueniatur, error illapſus putatur. Commune fuiſſe reperitur tam patri, quam filio vt Miro vterque nominaretur: ſed pater Theodo, Aria, filio prænomen fuiſſe cognoſcitur. licet apud Gregoriū Turonenſem idem, qui Theodomirus, Charraricus e-tiam nuncupatus inueniatur, eundem tamen eſſe cum i-pſo Mironis parente, ex eodē auctore probatur. Sed qua-nam occaſione eiuſdem Regis conuerſio ad rectam fidē contigerit, hic ex ipſo Gregorio res tunc temporis ſcri-bente depromimus. qui ait: d Greg. Tur. mirac. S. Martin. li. 1. c. 11.

VII. *Charrarici cuiuſdam Regis Galliciæ filius grauiter ægrotabat: qui tale tædium incurrerat, vt ſolo ſpiritu palpitaret. Pater au-tem eius fœtidæ ſe illi Arianæ ſectæ vna cum incolis loci illius ſub-diderat. Sed & regio illa plus ſolito, quam aliæ prouinciæ, lepra ſordebat. Cumque Rex videret vrgeri filium in extremis, dixit ſuis: Martinus ille, quem in Galliis dicunt multis virtutibus effulgere, cuius quæſo religionis fuerit, enarrate. Cui aiunt: Catholicæ fidei populum paſtorali cura in corpore poſitus gubernauit aſſerens fi-lium cum Patre & Spiritu S. æqualis ſubſtantiæ vel omnipoten-tiæ venerari debere. Sed & nunc cœli ſede locatus, aſſiduis benefi-ciis non ceſſat plebi propriæ prouidere. Qui ait: Si hæc vera ſunt quæ profertis: diſcurrant vſque ad eius templum fideles amici mei, multa munera deportantes: & ſi obtineant me filio medicinam, inquiſita fide Catholica, quam ille credidit credam. Penſato ergo auro argentoque ad filii pondus, tranſmiſit ad venerabilem locum ſepulchri.*

Qui profecti, oblatis muneribus, exorant ad beati tumulum pro ægroto. Sed inſidente adhuc in patris eius pectore ſecta, non continuo integram recipere meruit medicinam. Reuerſi autem nuncii narrauerunt Regi, ſe multas virtutes ad beati tumulum vidiſſe, dicentes: Cur non ſanatus fuerit filius tuus ignoramus. At ille intelligens, non ante ſanari poſſe filium, niſi æqualem cum Patre crederet Chriſtum in honorem B. Martini fabricauit Ec-cleſiam miroque opere expedita, proclamat: Si ſuſcipere mereor viri iuſti reliquias, quodcunque ſacerdotes prædicauerint, credā

hæc

hæc idcirco de reliquiis, quod ſcilicet omnes, qui alicui Sanctorum Eccleſiam fabricaſſent, ſanctuaria accipere ſolerent, nempe veli partem quæ ſepulchro illius Sancti ſuperpoſita fuiſſet, vt ex S. Gregorij Epiſtolis liquet, & quę ſuperius dicta ſunt de S. Leone, manifeſtum faciunt. Sed pergit Gregorius.

IIX. *Et ſic iterum ſuos dirigit maiore cum munere: qui venientes ad beatum locum reliquias poſtulabant. Cumque eis offerrentur ex conſuetudine, dixerunt: Non ita faciemus; ſed nobis, quæſumus, licentia tribuatur ponendi, quæ exinde iterum aſſumamus. Tunc partem pallij ſerici penſatam ſuper beatum ſepulchrum poſuerunt, dicentes: Si inuenimus gratiam coram expetito patrono, quæ poſuimus plus in ſequenti penſabunt, eruntque nobis in benedictionem poſita, quæſita per fidem.* eundem plane vſum ſeruari ſolitum ſuper corpora Apoſtolorũ Romæ, idem auctor affirmat, quæ nos alia occaſione ſuperius retulimus; fiebat enim, in ſignum diuinæ benignitatis impertiendæ petenti, vt eadem vela maioris ponderis reciperentur, quam data fuerint, ſecus ſi contra. Sed de pallio ſerico quid legitis acciderit, audi:

IX. *Vigilata (inquit) vna nocte, facto mane, quæ poſuerant, penſitabant. In quibus tanta beati viri infuſa eſt gratia, vt tamdiu eleuarent in ſublime aream libram, quantum habere poterat, quo aſcenderet momentana. Cumque eleuatæ fuiſſent reliquiæ cum magno triumpho, audierunt voces pſallentes qui erant in ciuitate detruſi in carceri* (nonniſi enim cum Pſalmodia reliquiæ transferri ſolebant) *& admirantes ſuauitatem ſoni, interrogant cuſtodes, quid hoc eſſet. Qui dixerunt: Reliquiæ domini Martini in Galliciam tranſmittuntur, & ideo ſic pſallitur. Tunc illi flentes, inuocabant S. Martinum vt eos ſua viſitatione liberaret. Exterritiſque cuſtodibus, & in fugam verſis, diruptis obicibus retinaculorum, liber populus ſurgit à vinculo, & ſic vſq; ad ſancta pignora, plebe inſpectante, venerunt, oſculantes flendo beatas reliquias, ſimulque & gratias B. Martino pro ſui abſolutione reddentes, quod eos dignatus fuerit ſua pietate ſaluare. Tunc obtentu per ſacerdotem à iudice culpis, incolumes dimiſſi ſunt. Quod videntes geſtatores reliquiarum, gauiſi ſunt valde, dicentes: Nunc cognouimus, quod dignatur beatus Antiſtes nobis peccatoribus propitium ſe præbere.* fuerunt hæc eorum, quæ facienda erant in Gallicia in ſolutione perfidiæ vinculorum ſigna prænuncia in catenarum fractione monſtrata. Sed proſequitur cætera Gregorius.

X. DE MARTINO PEREGRINO. *Et gratias agentes, proſpero proſequente patroni præſidio nauigium, vndis lenibus temperatis flatibus, velo pendulo, mari tranquillo, velociter ad portum Galliciæ peruenerunt. Tunc commonitus à Deo quidam nomine Martinus de regione longinqua, qui ibidem nunc ſacerdos habetur aduenit. Sed nec hoc credo ſine diuina fuiſſe prouidentia, quod eo die ſe commouerit de patria, quo beatæ reliquiæ de loco leuatæ ſunt: & ſic ſimul cum ipſis pignoribus Galliciæ portum ingreſſus ſit,* perinde ſc ſi Martinus Martinum ad Sueuorum conuerſionem aſciuerit, atq; perfecerit æque Martinus doctrina, quod Martinus miraculis inchoauerat: vt illud Euangelicum probaretur exemplo, quod eſt a Domino dictum *a*: *In hoc veritas eſt quod alius eſt, qui ſeminat, alius eſt qui metit. Quæ pignora* (ſubdit Gregorius) *cum ſumma veneratione ſuſcipientes, fidem miraculis firmant: nam filius Regis, dimiſſa omni ægritudine ſanus properat ad occurſum. Beatus autem Martinus ſacerdotalis gratiæ accepit principatum. Rex vnitatem Patris & Filij & Spiritus ſancti confeſſus, cum omni domo ſua chriſmatus eſt. Squallor lepræ à populo pellitur, & omnes infirmi ſaluantur, nec vnquam ibi vſque nunc ſuper aliquem lepræ morbus apparuit. Talemq; gratiam ibi in aduentu pignorum beati patroni Dominus tribuit, vt virtutes, quæ ibidem illa die factæ ſunt, enarrare perlongum ſit. Nam tantum in Chriſti amore populus ille promptus eſt, vt omnes martyrium libentiſſime ſuſciperent, ſi tempus perſecutionis adeſſet.* hactenus de his Gregorius.

a Ioan. 4. LEPRA CVM PERFIDIA PER FIDEM TELLITVR.

XI. THEODOMIRI REGIS CONVERSIO. Porro hæc omnia contigiſſe ipſius Theodomiri regni exordio, ex eo certum illud deducimus argumentum, quod poſt annum ſequentem, nempe tertio ipſius regni, totius ſuæ ditionis conuocari fecit Epiſcopos, Conciliumque Brachari celebrari. Sed & de eiuſdem Regis conuerſione paucis agit Iſidorus in Chronico Sueuorum verbis iſtis: *Poſt multos deinde Reges regnum Sueuorum ſuſcepit Theodomirus: qui fidem Catholicam adeptus, Arianæ impietatis errore deſtructo, Sueuos vnitati fidei reddidit. Huius tempore Martinus Dumienſis monaſterij Epiſcopus fide & ſcientia claruit, cuius ſtudio pax Eccleſiæ reddita eſt, & multa monaſteria condita.* hæc Iſidorus: ſed de Martino rurſus inferius dicendum erit.

XII. Quod vero tanta S. Martini meritis tribuuntur: opportunum putamus his attexereglorioſiſſimæ Francorũ Reginæ (quæ iiſdem temporibus contigit) peregrinationem ad ſepulchrum eiuſdem S. Martini, de qua Gregorius ita pergit *b*. *Nam & Vltrogotha Regina, auditis miraculis, quæ ad locum fiunt, quo ſancta membra quieſcunt, tanquam ſapientiam Salomonis expetiit corde deuoto proſpicere. Abſtinens ergo ſe à cibis & ſomno, præcurrentibus etiam largiſſimis eleemoſynis, peruenit ad locum ſanctum; ingreſſaque baſilicam timens & tremens, nequaquam audebat adire ſepulchrum, indignam ſe eſſe proclamans, nec ibidem poſſe, obſiſtentibus culpis accedere. Tandem deducta vigiliis nocte, & orationibus, ac profluis lachrymis, mane oblatis muneribus multis in honorem beati confeſſoris Miſſas expetiit celebrari. Quæ dum celebrantur, ſubito tres cæci, qui ad pedes B. Antiſtitis longo tempore priuati lumine reſidebant, fulgore nimio circumdati, lumen, quod olim perdiderant, receperunt. Quo facto, clamor in cælum attollitur magnificantium Deum. Ad iſtud miraculum currit Regina, currit & populus: mirantur omnes fidem mulieris, mirantur gloriam Confeſſoris. Sed ſuper omnia collaudatur Deus noſter, qui tantam virtutem præſtat Sanctis ſuis, vt per eos talia operari dignetur.* hæc Gregorius de Vltrogotha Regina. Extat Venantij Fortunati Epigramma de horto eiuſdem Vltrogothæ, ſiue Vltrogothonis Reginæ, licet depravatus codex habeat Regis, pro Reginæ: non enim de Rege, ſed de Regina eſſe Epigramma illud, poſtremi ſaltem duo verſus ſignificant, qui ſunt huiuſmodi *c*: at de ipſa ſat eſt:

b Greg. lib. 1. mirac. S. Martin. c. 12.

c Venan. carm. lib.

Poſſideas fœlix hæc Vltrogotho per æuum
Cum geminis natis tertia mater ouans.

ad res iam ſequentis anni tranſeamus.

IESV CHRISTI
Annus 561.

IOANNIS PAP. Annus 2. IVSTINIANI IMP. Annus 35.

I. REDEMPTORIS noſtri annus quingenteſimusſexageſimusprimus, poſt Baſilij Conſulatum vigeſimus, idemque Iuſtiniani Imperatoris trigeſimusquintus adeſt: quo defuncto Domno Iuniore Epiſcopo Antiocheno, vbi ſediſſet annos quatuordecim, ſubrogatus eſt in locum ipſius Anaſtaſius cognomento Sinaita, quod ex monachis in Sina monte vitam agentibus ad Epiſcopatum eius Eccleſiæ vocatus ſit, de quo plura ſuis locis dicturi ſumus. Quo etiam tempore poſt Euſtochium Hieroſolymorum Eccleſiæ ſubſtitutus eſt Ioannes, cuius ſedis tempus & res geſtæ prorſus obſcuræ manſere: licet alij in locum Macarij iterum reſtitutum eum creatum Hieroſolymorum Antiſtitem dicant.

II. BELISARII DE CALAMITAS. Hoc item anno trigeſimoquinto Imperatoris, menſe Nouembri ſtructas fuiſſe inſidias ad occidendum ipſum Iuſtinianum Auguſtum, habet Miſcellæ auctor *c*. Cum, re detecta, in crimen adductus Beliſarius pœnas dedit, bonis & dignitate exutus. Porro ſequenti anno menſe Martio dimiſſum fuiſſe ipſum Beliſarium ea de cauſa detentum, atque ſuis dignitatibus reſtitutum, idem auctor affirmat: quem ad poſt biennium Byzantij mortuum eſſe, Cedrenus tradit. Sed aduerſantur Latini *d* nonnulli, qui eum excæcatum, exutumque omnibus dignitatibus atque diuitiis, mendicare ſtipem fuiſſe coactum aſſerunt.

d Cedren. ... Volater. ...

III. Aduerſus hos ſcimus dimicare Alciatum *e* ſui Iuſtiniani acerrimum defenſorem. At Vtinam leues iſtæ tantum eſſent Iuſtiniani ſordes, quæ breui ab eodem viro docto

e Alciat. parerg. ...